

fuisse quæsitum leg. fin. 11, §. interdum, Digest. de legatis tertio. Bartolus in leg. Imperator, 72, §. cum autem, Digest. de legatis secundo Ancharanus consil. 23, num. 6. Natta consil. 262, numero 72. Peregrin. consil. 31, num. 11. vers. 2, casus, lib. 4. & in tractat. de fideicommissis, art. 44, num. 28. & decis. 2, num. 9. Rota coram Buratt. decis. 650, num. 6, & seq. & in Cathacen. hereditatis, 28. Aprilis 1653, §. quia cum coram Reverendo meo Cerro.

Et ita ex defectu hypothecæ Domini censuerunt sententiam esse infirmam, utraque parte informante.

## DECISIO CVIII.

R. P. D. VEROSPPIO.

Mantuana feudi.

Lunæ 29. Novembris 1655.

## SUMMARIUM.

- 1 Investiturae posteriores à prima regulantur pro masculis & feminis utrumque sexum comprehendunt numero 2. in præjudicium vocatorum non possunt alterari numero 12.
- 3 Femina in feudo improprio & francum masculinum remotiorem à successione excludit. Et in paritate gradus admittitur simul cum masculino numero 4.
- 5 Feudum non obligans ad servitium personale dicitur improprium, & francum. Datum ob merita censetur improprium numero 7. Concessum cum facultate alienandi irrequisito Domino dicitur Francum num. 8. Improprium, in pactonatum, & mixtum dividitur numero 21.
- 6 Servitium personale censetur remissum eo quod in concessione feudi non apparet expresse in junctum.
- 9 Clausula salvo jure feudi restringit facultatem alienandi in eadem investitura concessum: declarata non procedere juxta dictionem prædicti; quo casu illa facultate alienandi, alia jura præservat numero 10.
- 11 Alienationis prohibitio adjecta posterioribus feudi investituris non attenditur.
- 13 Juramentum fidelitatis proprietatem feudi arguit contra num. 14. feudi naturam famularum numero 15.
- 16 Constitutiones Pontificiæ casus futuros non præteritos regulant.
- 17 Statutum Laicale non afficit feudum Ecclesiæ nec quoad succedendi modum.
- 18 Observantia in feudis quoad successionem attenditur: declarata si sit uniformis n. 19.
- 20 Rota in Mantuana dotis 10. Junii 1637. Cocino declaratur.

Præmortuo sine liberis Marchione Aloysio Gonzaga D. Marchionissa Francisca ejusdem soror ac hæres testamentaria contra D. Marchionem Julium Cæsarem Fratrem Patruelis judicium immisionis instituit vigore legis ultime C. de edict. super portione feudi Curia Podii per eundemmet Aloysium, dum degeret in humanis, possessa, & ex l. investituræ vocatis dumtaxat in tabulis ipsius testamentariis refer-

vata, super cujus immisionis articulo per me proposito dubio Dominæ Marchionissæ eadem immissio hodie decreta. Cùm enim prima hujus feudi investitura recepta pro se liberis suis masculis, ac foeminis in infinitum à qua debent successivè virtute relationis habita declarari, ut tradunt Menoch. consil. 148. num. 26. Bero consil. 103. num. 5. Surd. consil. 474. num. 6. Rota coram Caval. decis. 557. num. 3. & decis. 74. numero 4, & 5. part. 7. recent. sexum\* comprehendat utrumque juxta text. in cap. primo §. hoc notandum de his, quæ in feud. dar. poss. & in cap. primo §. filia de success. feudi Menoch. decis. consil. 148. numero 10. vers. præmitto secundo Burfatt. consil. 49. num. 66. cum aliis per Schrader. de feud. part. 7. cap. 4. num. 41. debet proinde D. Marchionissa soror Aloysii, & consequenter proximior\* in gradu prælationem in hoc feudo penitus improprio, ac franco in concursu D. Marchionis Julii Cæsaris patruelis, adeoque remotioris in gradu obtinere, ut notat Angel. consil. 321. num. 4. Menoch. consil. 65. num. 16. Rota in Brisien. feudi prima Julii 1592. coram Cardinali Pamphilio in princ. ad quod etiam una cum ipso licet masculino debuisset admitti, si in pari consanguinitatis gradu uterque extitisset, Bald. in l. quoties num. 3. C. de suis & legitim. Roman. consil. 377. num. 12. Paris. consil. 4. nu. 14. volum. primo Dec. consil. 139. num. 2. Surd. consil. 317. num. 35. & consil. 407. num. 26. Schrader. de feud. cap. 4. num. 79. Rota in dicta Brisien. feudi coram Card. Pamphilio in §. nec etiam obstat.

Feudum autem hoc improprium exinde con-jicitur, ac francum + quod investitis nullum personale servitium demandetur ad text. in cap. si cui milit. de feud. & benef. in extravag. cujus auctoritatem sequitur Menoch. consil. 65. n. 16. Ruin. consil. 18. nu. 17. vol. 1. Corn. consil. 16. n. 9. lib. 1. ac plures alii relati per Clar. in §. feudum 4. 78. n. 7. & 8. Gratian. discept. forens. cap. 736. n. 73. Franc. d. 7. nu. 1. & 2. Rota coram Caval. d. 172. n. 3. & d. 214. n. 8. p. 7. rec.

Ita ut censetur\* proinde remissum cap. Verum de for. compet. ubi Innoc. n. 2. Oldrad. consil. 234. nu. 2. Paris. consil. 23. nu. 32. lib. 1. Afflict. d. 371. num. 34. Rota coram Seraph. decis. 1105. num. 9. Tum etiam quia primæ concessio non gratuito juxta feudi proprii naturam sed bene merentis + causa processit ob præstita scilicet Ecclesiæ servitium, in specie quidem, non autem in genere recensita juxta text. in cap. 1. quemadmodum feud. ad fil. pertin. poss. Jas. consil. 57. n. 3. vers. 3. principaliter lib. 1. Job. Non. consil. 1. n. 37. Surd. consil. 140. n. 42. Gratian. discept. forens. cap. 736. nu. 79. & 80. Rota in Sarinaten. feudi 22. Junii §. præterea in hoc feudo & 18. Decembris §. ex quibus verbis 1645. coram R. D. meo Decano & 3. Julii 1651. coram Eminentissimo D. Card. Orthobono, Tum quia denique omnimoda feudi dispositio + licet ordinarius directus ejusdem Dominus reclamaret, legitur quoque attributa, ut ad hunc effectum ponderat Gabr. consil. 83. num. 7. & 8. lib. 1. Gratian. cap. 736. num. 75. Rota coram Seraph. dec. 1105. n. 1. & in d. Brisien. feudi §. accedit quod istud coram Card. Pamphilio.

Quæ sanè facultas dispositionis omnimodæ neque poterit archata præsumi ex præservativa clausula\* salvo jure feudi prædicti ibidem adjecta juxta text. in cap. 1. de feud. non habent propriam feudi naturam Menoch. consil. 61. nu. 17. & consil. 545. n. 6. Rosentall. de feud. cap. 2. consil. 37. sub litera D. Olfac. decis. 164. sub numero 10. sive

sive ex prohibitione alienationis in successivis investituris inserta. Ea quippe clausula, salvo, restrictionem recepit ex sequenti verbo, prædicti, ita ut alia dumtaxat jura excipiat, non autem facultatem disponendi ante tributam, nec improprietate feudi consequente excludat, ut notat Bald. præludio feudor. num. 27. Natt. consil. 404. nu. 20. Roland. consil. 1. nu. 73. lib. 3. Peregrin. consil. 19. n. 21. lib. 1. Giovagn. consil. 8. n. 159. lib. 1. Decian. consil. 24. num. 98. lib. 1. Menoch. consil. 378. n. 43. Gramm. decis. 66. n. 7. Successiva verò prohibitio + alienationis apposta in fequentibus investituris, in prima verò feudi concessione posthabita, non suffragatur, ut advertit Signorol. consil. 60. nu. 2. Burfatt. consil. 150. n. 5. in fin. vers. hinc dico Menoch. consil. 148. nu. 32. & in terminis feudi, de quo agitur Rot. decis. 587. num. 7. p. 2. divers. Cùm illæ à præcedenti debeant regulari, neque in præjudicium vocatorum + valeant innovari juxta text. in c. 15 §. penult. quib. mod. feud. amitt. Riminald. jun. consil. 18. n. 101. lib. 1. Rot. in decis. Brisien. feudi §. neque obstat coram Card. Pamphilio.

Hujus autem feudi proprietates perperam arguitur ex juramento fidelitatis in instrumento concessionis specialiter requisito ac investitis consequenter in juncto, quippe quod personale servitium regulariter importans feudum proprium videatur innuere, licet in aliqua sui parte reputetur improprium, ut ex aliorum auctoritate comprobatur Rovit. consil. 79. n. 8. 29. & Schrader. de feud. par. 2. cap. 2. n. 72. Quoniam juramentum hoc, in feudis quoque impropriis consuetum adhiberi, ea dumtaxat\* inferre censetur, quæ feudo improprio valent æquæ congruere, non autem pro inducenda proprietate feudi poterit describere, ut tradit Paris. consil. 12. nu. 29. & 30. lib. 1. Ruin. consil. 18. num. 13. lib. 1. Cephal. consil. 151. n. 20. cum seqq. Menoch. consil. 65. n. 32. & 33. Gratian. discept. forens. cap. 736. n. 74. Rot. decis. 41. n. 2. p. 1. divers. & in Altn. feudi 5. Novembris 1628. coram Rubeo. Quod præterea juramentum fidelitatis accessorium feudo ex vocatione.

Foeminarum improprio, ipsius naturam + alterare non potest, sed debet eidem famulari, ut pluribus declarat ac comprobatur Schrad. decis. cap. 4. num. 77. & 68. & Rota in decis. Brisien. feudi coram Pamphilio §. neque obstat.

Neque D. Marchionissam ab hujus feudi consecutione repellent sive constitutiones Apostolicæ, sive dispositio statuti Mantuani foeminas masculos præferentis, cum Apostolicæ constitutiones futuris dumtaxat concessionibus prospiciant, non autem præteritis, nec feudum hoc antèrè consequenter includant ad text. in cap. deliberatione §. volentes de offic. deleg. lib. 6. ubi Genuen. n. 2. not. gloss. in cap. quamvis in verbo ad decimas de decimis Felin. in cap. ultimo nu. 3. de consil. Covar. var. lib. 1. cap. 17. n. 5. Rot. dec. 319. n. 3. part. 1. divers. & in Romana Salvian. 24. Januarii 1650. in §. minus refragantur coram R. P. D. meo Peutingerio statutaria verò dispositio + utpote laicalis huic feudo ratione Domini ac proprietatis Ecclesiæ legem imponere nequit, ut notat Dec. in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 218. de consil. Imol. in cap. quod Cleric. n. 4. de for. compet. Ruin. consil. 185. n. 8. lib. 2. cum aliis late deductis in Ravenaten. hereditatis 5. Junii 1648. in §. tamen coram Eminentissimo D. Card. Orthobono & in Romana Domorum 15. Decembr. 1649. §. ultim. coram R. P. D. meo Bichio & in Ravenaten. bonorum

27. Martii 1651. in §. quia utpote laicale coram R. P. D. meo Cerro.

Non etiam eandem Marchionissam excludit observantia, pro elicienda masculorum prælatione deducta ex investituris, spatio annorum 300. & ultra ipsorum favore dumtaxat expeditis, nec non ex altera de anno 1622. masculos remotiores foeminis proximioribus præferente, tum ex recepta per matrem atque Tutricem D. Marchionissæ Francisca pro masculino, ipsa licet tunc existente posthabita, sive ex testamentaria denique declaratione Aloysii quarti, quod feudum hoc in vim antiquarum investiturarum ad solos masculos pertineret cùm ipsa observantia in materia feudali spectari potissimè soleat cap. 1. §. Præterea quid sit investitura ubi Bartol. vers. item nota Ruin. consil. 38. nu. 6. & consil. 40. nu. 11. lib. 1. Menoch. consil. 391. nu. 12. Rot. decis. 93. n. 59. p. 5. recent. & coram Buratt. decis. 206. n. 22. præterquam quod enim exemplo non justificatur foeminas tunc temporis extitisse in pari gradu + cum masculis, contrarium præterea convincitur ex instrumentis in summano Marchionissæ exhibitis n. 2. & 3. præferentibus feudum hoc delatum fuisse Lauræ, ac Margaritæ, Marchione Francisco Patruelis posthabito, illudque per Annam Mariam in concursu Marchionis Julii patris patrueles successivè fuisse consequutam, nec non etiam in hoc pariter feudo ad exclusionem patris in favorem filii judicatum testatur Paris. consil. 13. n. 17. lib. 1. ita ut ex actibus contrariis allegatis observantia destruat, ut respondit Rota coram Merlino decis. 99. num. 5. & 6. decis. 532. n. 22. cum aliis relatis in Cracovien. declinarum 20. Martii 1651. nec ex altero coram me vel difformis inde consurgens D. Marchioni Julio Cæsari nequeat suffragari, Alex. consil. 6. lib. 1. Surd. consil. 354. n. 28. Rot. decis. 37. n. 36. part. 2. divers. coram Greg. decis. 461. n. 7. & coram Buratt. decis. 229. numero 6.

Denique non urget in contrarium allegata decisio in Mantuana dotis + 10. Junii 1637. coram bon. mem. Cocino. Ibi enim feudum hoc negatur hypothecabile, quia pactonati vel saltim mixti naturam assumat, non autem simultanea foeminarum admisso denegatur cum masculis si in pari gradu existant ac masculorum remotiorum exclusio in concursu foeminae proximioris, cùm à proprietate vel improprietate feudi, id pendere noscatur ex supra deductis, quod etiam + in pactonatum ac hæreditarium dividi solet, ut pluribus comprobatur idem Schrad. de feud. part. 2. cap. 3. num. 19.

Et ita utraque &c.

## DECISIO CIX.

R. P. D. VEROSPPIO.

Romana Fideicommissi.

Veneris 3. Decembris 1655.

## SUMMARIUM.

- 1 Regressus ad jura renuntiata non datur.
- 2 Fideicommissi scientia requiritur pro validitate renunciationis, declarata ut numero 4.
- 3 Innuatio non requiritur in renunciatione fideicommissi adhuc non purificati.
- 5 Renunciatio non extenditur de persona ad personam, declarata ut nu. 6. Ob plures causas

- initas, una cessante subsistit numero 7. *Amplia ut numero 8.*
- 9 *Spes succedendi ex contractu transmittitur.*
- 10 *Donata deficiente persona in donatione contemplata ad donantem revertuntur.*
- 11 *Gravatus dum vivit jure Domini persungitur.*
- 12 *Lota montium ex Bulla Pontificis hypothecam non recipiunt.*
- 13 *Pactum reversivum in renunciatione non appositum in dubio neque reservatum praesumitur.*

**F**ideicommissum ab Henrico seniore de Ursinis institutum, per obitum Francisci sine filii, in favorem D. Comitissae Isabellae Sororis apertum, Rota decreverat coram me sub die 21. Junii 1652. Ac insuper sanxerat Baronum Bullam, nec eidem pariter obesse quin ad fideicommissaria Henrici senioris bona valeat aspirare, verum renunciationem fratribus actam ab horum bonorum consecutione ipsam penitus arcere hodie Domini responderunt, ex dispositione juris prohibentis renuncianti + ad bona renunciata regressum, de qua in l. quartus §. si venditor ff. de aedilic. edict. l. quoties ab omnibus C. de fideicom. Gutier. in cap. quamvis pactum in verbo dum nuptus de pact. lib. 6. Menoch. conf. 16. n. 15. Aym. conf. 24. n. 4. Surd. decis. 51. n. 11. Rot. decis. 125. n. 16. par. 5. & decis. 587. n. 10. par. 1. recent. & in Ariminen. successione 16. Januarii 1654. coram R. P. D. meo Bichio.

Neque vis praedictae renunciationis excluditur, vel quia infirmationis robore delituta fuerit contra dispositionem statuti Urbis c. 149. & 150. ubi. 1. vel quia fideicommissum hoc non comprehendat, dum nondum purificatum, + nec expositum fuerat renuncianti, neque dispositioni l. de his ff. de transact. ulterius derogatum juxta tradita in Romana donationis 16. Martii 1643. coram R. P. D. meo Bichio. Nulla enim infirmationis necessitas urgebat quoad hoc fideicommissum + non adhuc renuncianti delatum, ut not. Bald. in l. illud n. 11. C. de Sac. Ecol. Alex. in addit. ad Bart. in l. Modestinus ff. de don. & mature discussio articulo responderunt Rot. dec. 12. n. 11. cum seq. & dec. 292. n. 20. part. 6. rec. in Romana fideicommissi de Cosciaris 16. Martii 1648. in §. eoque minus coram Eminentiss. D. Card. Corrado, & alia relata per Add. ad dec. Buratt. 333. n. 8. illud vero in Instrumento renunciationis inclusum ejusdem effrenata, nec nota expressa verba per se ferunt videlicet quorumvis fideicommissum purificatorum, ac respectivè purificandorum, ex quibus voluntas renunciandi his quoque desumitur, nec non eorumdem scientia + saltem intellectualis in renunciante, quae renunciatio suffragatur licet nulla dispositioni legum de his derogatio praecesserit secund. Bart. in l. qui Romae §. duo fratres n. 17. ff. de verb. oblig. Mart. conf. 139. n. 24. Surd. conf. 267. n. 6. cum seq. Peregr. de fideic. art. 52. n. 22. Gratian. discept. forens. c. 346. n. 14. & 15. Rot. decis. 598. n. 1. & 3. par. 3. rec. & cor. Buratt. decis. 658. n. 9. & in Bononien. fideicommissi de Vizzanis 15. Junii 1643. §. nec refert, & 15. Jan. 1644. in paragrapho ultimo coram R. P. D. meo Bichio, & in Cesenaten. bonorum 15. Maii 1651. in paragrapho sed ex alio quoque coram R. P. D. meo Albergato, Quicquid dicen. foret si renunciatio solummodo memisset Testamenti fideicommissum continentis in quibus terminis procedit, ac loquitur dec. in Rom. donationis 16. Martii 1643. cor. R. P. D. meo Bichio in contrarium supra adducta.

Non etiam poterit renunciatio haec expirata praesumi per obitum fratris sine descendantibus masculis, quorum favore dumtaxat sub particula tantum stipulata reputatur personalis neque ad alias valet proinde personas non completas in renunciatione prorogari, sive ex praesumpta voluntate renunciantis, sive perspecta etiam renunciantis + natura, extensionem de persona ad personam expressè prohibente, ad trad. per Bald. conf. 437. n. 2. lib. 1. Fran. à Ponte conf. 39. n. 1. cum seqq. Surd. conf. 446. n. 16. Rot. dec. 186. n. 2. par. 3. rec. & in Rom. fideic. 22. Junii 1642. coram Rever. D. meo Decano, siquidem urgere posset obiectio si honorum cessio sub titulo solius renunciantis abdicativè concepta foret, in quibus terminis loquuntur auctoritates supra deductae, secus verò dum titulus donationis irrevocabilis inter vivos aequè principaliter ac pluries repetitis esse dignoscitur, tum ex instrumenti lectura, tum ex adjecta ibidem subscriptione Isabellae, titulum quoque donationi expressè praeserente; hic enim suapte natura perpetuus ac transitorius ad extraneos, hos pariter non quidem jure comprehensionis admittit, sed transmissionis, ita quod ab ultimo Donatario haeredes institui possint, vel saltem legitimam causam obtinere, + licet agnatio in cessionis instrumento cum taxativa, tantum contemplata defecerit, ut ex hujus Tribunalis auctoritate distinguit Card. Mantica. de tacit. & ambig. lib. 13. tit. 21. n. 20. ubi proinde negat ab hac posse opinione recedi, & responderunt Bot. coram Achill. decis. unic. per tot. de donat. signanter n. 6. cor. Puteo decis. 273. n. 7. & 8. lib. 3. & in decis. 587. par. 1. rec. n. 1. & 10. ubi nedum meminit allodialium, sed etiam fideicommissi, & in Cesenaten. bonorum 15. Maii 1651. in ultimo §. coram R. P. D. meo Albergato; Quinimò dum pro finali causa donationis non unica ratio agnationis perspecta fuit a donante aliis poterit de causis benevolentiae scilicet, ac congruae dotis aequè principaliter recensitis, \* donatio ipsa agnatione licet extincta sustineri, ut advertit Molin. de rit. nupt. q. 92. n. 49. & 50. & aliis relatis auctoritatibus responderunt Rota in Arimin. successione 29. Junii 1654. §. facilius cor. R. P. D. meo Bichio, postquam maxime ultimus renunciantis de hac bonorum specie expressè disposuit, + inde enim pactum reversivum excluditur, favore renunciantis, quidquid dici posset, si nulla eorumdem bonorum dispositio praecesserit, ut not. Bald. in conf. 437. n. 2. lib. 1. Aym. conf. 89. n. 1. Cancer. var. resol. par. 3. c. 15. n. 40. Rota decis. 543. n. 40. & 41. par. 5. rec. & cor. bo. me. Merlin. decis. 894. n. 6. & in Maceraten. pecuniaria 10. Junii 1644. §. 1. cum seqq. cor. Eminentiss. D. Card. Otobon. & in adducta Arim. successione coram R. P. D. Bichio §. in fin.

Et licet nondum purificato fideicommissio unde loca montium controversa, ex adverso praetenditur provenire, è vivis excesserit ultimus Donatarius, ac eadem consequenter videatur in extraneos perperam transulisse. Cum tamen spes quoque succedendi \* vigore contractus renunciantis ipsi competeret, eam proinde potuit ad Nigronos licet extraneos legitime transmittere, quod tamen secus esset; si spes successionis ex ultima voluntate delata foret juxta. text. in l. Item C. de donat. §. ex condicionali instituta. de verbor. oblig. Surd. conf. 403. nu. 2. & 3. Laterch. conf. 133. n. 3. vers. 2. idem, & n. 5. in fin. Bero. conf. 107. n. 10. & 11. lib. 2. Gramm. decis. 92. n. 2. Rota in Romana fideicommissi de Marianis 17. Martii

Martii 1643. §. non obstat cum seq. coram Rever. D. meo Decano.

Neque haec loca Montium excepta dici poterant in instrumento cessionis, vel uti emptia ex pretio feudi ibidem specialiter reservati, vel uti fideicommissaria, quae, extincto donatore, suapte naturam redeunt ad successive vocatos, + vel deficiente persona contemplata, in donatione revertuntur ad donantem, ut respondit Rot. in Viterbien. Castrorum 19. Junii 1628. coram bon. mem. Coccino impress. dec. 19. p. 5. rec. Siquidem, quaestione post habita; An pretium feudi dicatur feudale in qua non defuit utriusque sententiae sectatores, negatur praeterea à fratribus de Nigronis loca Montium ex pretio feudi esse emptia, quinimo dum patentes litterae eorumdem locorum Montium ab haerede gravato, + qui, donec viverit veri Domini jure perfrugitur ut advertit Ruin. conf. 137. n. 7. & 8. & conf. 138. n. 6. & 7. Peregr. conf. 93. n. 7. & 8. lib. 1. liberè, & abique ullo onere alterius favore attergatæ faere, inter bona allodialia recensentur, + necnon à quocumque onere hypothecae immunes ex Apostolicis Constitutionibus evasere, & praesertim ex altera Jan. mem. Urbani VIII. edita de anno 1639. ut advertit Gratian. discept. forens. cap. 730. n. 48. Rota decis. 77. n. 19. & 20. p. 6. rec. & in Januen. locorum Montium 21. Junii 1641. coram bon. mem. Card. Hieronymo Verospio, pactum verò reversivum + neque in instrumento renunciantis legitur appositum, neque praesumitur in dubio reservatum, ut advertit Peregr. de fideicom. art. 51. n. 21. Surd. decis. 322. n. 66. cum aliis relatis à Modern. Siculo. tit. de donation. contemplat. matrim. tract. 2. discurs. special. 24. n. 16. Rota in Romana fideicommissi de incoronatis 5. Novembris 1639. §. sed praeterea in fine coram bon. mem. Pirovano: nec proinde poterit D. Comitissae de cujus solummodo praedictio, non autem vocatorum successive ad fideicommissum hodie tractatur suffragari; dum conjecturæ non adfunt militantes in causa Viterbien. Castrorum, ex quibus pactum reversivum ejusdem favore reservatum valeat proinde praesumi, sed potius causae concurrunt exclusivæ regressus.

Et ita utraque, &c.

## DECISIO CX.

R. P. D. MELTIO.

Toletana Manutentionis.

Lunæ 7. Februarii 1656.

## SUMMARIUM.

- 1 Parochus intra fines suae Parochiae exercet omnes actus parochiales. *Amplia ut num. 2. est legitimus contradictor ad impediendam monasterii erectionem numero 13.*
- 3 Actus mandati tribuitur, & non exequenti.
- 4 Reservatio juris impedit ne in alium transferatur.
- 5 Beneplacitum Apostolicum requiritur in transactione rei Ecclesiae. *Amplia ut numero 6.*
- 7 Transigens super re Ecclesiae ipsemet transactionem impugnat ob defectum beneplaciti.
- 8 Concordia resolvitur ex transitu rei in alium. *Non continens beneplacitum personalis dicitur, & non realis numero 9.*

- 10 Monasterii erectio sine beneplacito est nulla, ordinarii etiam assensum requirit. n. 11. & n. 12. & num. 17. *Discrimen ab Hospitio nu. 14.*
- 15 Prohibitio ubi militat eadem ratio locum habet, edificandi monasteria translationes de uno in alium locum ejusdem civitatis afficit numero 16.
- 18 Decretum irritans inficit titulum, & possessionem.

**H**ospitale cum Ecclesia nuncupat. de la Passion, quod existerat in oppido Matrini intra limites Parochialis Ecclesiae Sanctorum Justi, & Pastoris translatum fuit anno 1637. intra idem oppidum ad locum nuncupatum de Atocha, & domus praedicti Hospitalis una cum Ecclesia annexa venditæ fuerunt Patribus sancti Domini, qui acquisita dicta Domus, & situs possessione; cum ibi conventum fundassent, & in Ecclesia sanctissimum Eucharistiae Sacramentum collocassent corpora defunctorum sepelirent, aliaque munera parochialia exercerent in non mediocre praedictum jurium Parochi dictae Ecclesiae Sanctorum Justi, & Pastoris; ideo introducta pro ipsius parte causa coram Vicario Matrini super prohibitione actuum parochialium & nullitate eorum fundationis ex defectu licentiae ordinarii fuit ab eo declaratum ut sanctissimum Eucharistiae corpus consumeretur, ac dicti Patres à celebratione Missarum, & exercitio assertorum actuum parochialium in posterum abstinerent, hujusmodi decretum fuit deinde in gradu appellationis revocatum per sententiam ordinarii Caurien. qui concessit manutentionem ipsis Patribus, & ista in tertia instantia à Reverendiss. Nuncio Hispaniarum confirmata fuit; devoluta postmodum causa ad Sacram Rotam, dubitatum fuit sub die 26. Junii 1654. cuinam danda esset manutentio, sed dubio non resolutio, ordinatum fuit, quod videretur de bono jure, quo hodie discussio, ad favorem Parochi Sanctorum Justi, & Pastoris responsum fuit.

Etenim Ecclesiam quae alias erat Hospitalis de la Passion. & modo possidetur à Patribus Sancti Domini existere intra limites Parochiae Sanctorum Justi, & Pastoris non controvertitur, & hoc sufficit, ad hoc ut Parochus + habere dicatur intentionem fundatam in assententia juris pro exercitio omnium actuum parochialium privativè quoad quoscunque alios c. dilectus de cappellis monachorum, c. statumimus, & c. in sacris 16. q. 1. c. & c. fraternitatem de sepult. Clem. dudum §. verum eod. tit. Modern. Lustr. de offi. Parochi p. 3. c. 26. n. 66. Rot. coram Caval. dec. 101. n. 1. in rec. dec. 37. n. 3. & dec. 552. n. 16. p. 5. decis. 391. n. 6. & 7. p. 8. rec. & fuit dictum in Romana jurium parochialium 4. Junii 1653. coram R. P. D. meo Zarate in princ. §. quae resolutio, quod procedit non obstante quod in eodem loco Hospitale antea extitisset, quia Parochus pro exercendis juribus parochialibus + aequè habet intentionem fundatam in Hospitalibus intra limites suae Parochiae existentibus, ac aliis locis Clem. quia coningit §. ceterum. & ibi gloss. verb. parochialis, & Abb. numero 14. Zabarell. num. 1. Imol. num. 20. de Relig. domib.

Tanto autem magis de bono jure Parochi constare visum fuit, quia ultra assententiam juris fiat pro ipso etiam observantia ex eo deducta, quod Rectores Hospitalis si quando munia parochialia quoad infirmos, & pauperes ibi degentes